

196.

quando frigus abdomen sive ventrem afficit. 2. calorem naturalem dissipando cum humorum agitatione caloris debilitatem proximè insequente, quod accidit in immoderata pedum refrigeratione, ubi frigus intestinis communicatum calorem naturalem adurit, eum citissimè infrigit, qui imbecillior factus non potest non humores agitare potius & flatus generare, quàm istos rectè regere. (g) *Notandum verò & probè tenendum, tale quid frigus non præstare nisi in iis, qui humoribus abundant excrementitiis, veluti sunt infantes, quibus de nuper Ferrarius. Frigus etiam, præsertim excedens, quamvis omnes & singulos lædere queat, idem tamen in omnibus efficere nequit, ut impunè dictum putemus: Frigus colicam generare non nisi in prædispositis valet.* Quomodo verò frigida assumpta possint fieri dolorifica, ex dictis patescit.

(a) *cit. loc. p. 344.* (b) *libr. 3. pr. med. part. 2. sect. 2. c. 2.* (c) *libr. 1. obs. 4. schol.* (d) *libr. 21. obs. 10. schol.* (e) *libr. 4. de medicin. infant. cap. 7.* (f) *Confer. Rolfinc, cit. loc. p. 260.* (g) *Confer Fienum alleg. loc. p. 59.*

X X I.

IV. *Aer 1. urens.* Hujus enim ardore nimio nativus quando calor evocatur & diminuitur, viscera suâ caliditate privantur, concoctio depravatur, quæ flatuum generatio & hanc flatuosa colica necessariò insequitur, quo de scitè disputat Fienus (a) 2. *contagiosus*, à quo productum colicum dolorem post *Æginetam*, *Avicennam* aliosq; consignavit *Forestus* (b) *Zacutus* (c) *Sennertus*. (d) Et tantum de causis.

(a) *alleg. loc. p. 42.* (b) *libr. 21. obs. 13.* (c) *libr. 2. pr. admirand. obs. 23.* (d) *cit. loc.*

C

X X I.